

AD I. COR. CAP. IV.

XXIIX. v. 9. nec tamen Missa Papistica huc facit, ut Thomas vult: Hæc enim ad *μυστήρια* Papalis iniquitatis pertinet. Papistas de cætero hic rectè notat B. Lutherus, quomodo dispensent illi mysteria: *dispensationes*, inquit, *satis multæ sunt, sed præbendarum, jejuniorum, possessionum, matrimoniorum, & his similium, novum scil. genu dispensationis Apostolo incognitum. Verbum enim Dei & sacramentum crucis nullus neq; novit, neq; docet.* Porro *οἰκονομία* illius jus non infert potestatem ac usum dispensandi de jure divino, vel aliquid de eo remittendi, quam Papæ vendicant, sed distributionem notat, & administrationem jurium divinorum, ac beneficiorum, vel munerum Ecclesiæ creditorum quemadmodum patet è collatione *Luc. XII. 42. C. XVI. 2. Rom. XVI. 15. 2. Cor. II. 7.* Quod cum *Bernardo* l. 1. consider. ad Eugenium agnoscunt *Cajetanus, Salmero, Estius Sua & Justinus* in h. l. Merus itaq; abusus est cum hoc dispensationis jus *Bellarminus* L. IV. De Eucharist. c. 28. imò & ipsum Concilium Tridentinum Sess. XXI. can. 2. abripit ad licentiam dispensandi de Calice Eucharistico, ut non distribuatur Laicis, quod sacrilegium est non *οἰκονομία τῶν μυστηρίων θεῶν*. Hæc enim fieri debet juxta præscriptam verbi divini non contra illud. Rectè etiam hic notavit *Parens* mysteria Antichristi: *Habit & habet etiam Satan sua mysteria. Ethnicum enim mysteria Dionysii seu Bacchi, Cereris, Eleusinia magna & parva olim cui quæso celebrabant? Diabolo, inquit Apostolus 1. Cor. X. Habet etiam Anti-Christus sua mysteria. Nam meretrix Babilonica in fronte scriptum gerit mysterium, quia regnum ejus plenum erit mysteriorum. Sicut hodie in Papatu nulla ceremonia est tam nugax tam frivole excogitata, invec̄ta, cui non ingeri affingatur mysterium.* De quo *Rationale Durandi* videatur. Non talium mysteriorum œconomi esse debent ministri Christi, sed mysteriorum Dei. Male autem idem *Parens*, quum agnoscat sacramenta hic simul comprehendere, quæ Græci peculiariter ideo vocantur *μυστήρια* vocem hanc eò trahit; ut enacuetur, quicquid est mysterii in sacramentis, & in nudâ analogiâ vel significatione fingatur mysterium, nec ministris verbi quicquam aliud relinquatur, quàm nudorum signorum, & externorum elementorum dispensatio, non verò integrorum sacramentorum, ad quæ utiq; præter materiam terrestrem pertinet cœlestis materia, sine qua sacramenta nec mysteria sunt nec vim divinam habent, nisi hanc nudis elementis adscribere velis. Quia verò ministri verbi dispensatores mysteriorum